

Ethico querenti: cur Christus celeris non advenisset? Respondet simpliciter Aug. Tum voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos predicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri. Hæc autem resumens libr. de prædest. Sanct. c. 9 fatetur se in primo loco non attigisse graviolem difficultatem, ntrum nempe, prædicato sibi Christo, a seipsis habituri essent fidem, an Deo donante sumpturi? Hancque de industria omisisse, quia nihil ad propositæ questionis resolutionem pertinebat, & ne novas disputationi ambages neceret: Sed quoniam, inquit, si ita diceretur, lectorem faceret intemum ad ea requirendo, que nunc ex admonitione Pelagiani erroris necesse est copiosius, & laboriosius disputari; visum mihi est, quod tunc satis erat, breviter esse dicendum, excepta, ut dixi, altitudine sapientie, & scientie Dei, & sine præiudicio aliarum causarum, de quibus non tunc, sed aliis opportunis disputandum putavi. Alia ejusdem œconomiz exempla habes l. 1. Retract. c. 9. l. 2. de peccat. merit. a. 17. & alibi.

Dices: Juxta Thomistas gratia efficax supponit potentiam per gratias sufficientes completam, & expeditam, eamque tantum applicat ad agendum: ergo non sanat nec roborat, sed sanatur, & roboratur supponit. R. 1. Hoc argumentum non posse nobis serio opponi ab Augustinianis, qui agnoscunt nobiscum gratiam efficacem Christi esse medicinalem, & præbere vires efficacissimas voluntati, ut loquitur Aug. R. 2. D. Conseq. ergo non sanat, nec roborat potentiam in ratione potentie simpliciter, & præcisè, & ante solitarie sumptæ, Transfert; in ratione potentie conjungendæ cum actu, N. De quo plura alibi. Vide art. seq. n. 6. Neque tamem existimandum est, per hanc gratiam actualem medicinalem hominem lapsum ita sanari, ut ad statum originalis justitiæ redeat, & pristinae sanitati restitatur; quia vires illæ, quas confert, non sunt ad modum habitus permanentis, sed instar virtutis alicujus vitalis, & transitorie.

Solvuntur objectiones Tournely.

Honor Tournely, qui passim in suis Prælectionibus Janenium acriter insectatur, & impugnat, ejus partes hic suscipit quæst. 1. de grat. art. 1. §. Quod gratia; contenditque cum ipso, Adamum non opus habuisse ad perseverandum auxilium quo, seu efficaci; sed satis fuisse ipsi auxilium sine quo permissum ejus libero arbitrio: & inter varias opiniones Theologorum, quas refert circa discrimen adjutorii utriusque status, Thomisticum de necessitate præmotionis physicæ in statu innocentie pro suo solito more specialiter vellicat: Sed quæ profert adeo levia sunt, ut vix difficultatis nodum attingant, & facillimè ex dictis solvantur: quapropter succinè illa perstringam. Itaque opponit 1. Ex assertione necessitatis præmotionis physicæ pro statu innocentie ruit discrimen ab Aug. statum inter gratiam utriusque status, nature innocentis, & lapsæ: ergo, Prob. Ant. Juxta Thomistas, posita præmotione actio sequitur; ea non posita non sequitur. At in mente Aug. opus non habuit tali auxilio: ergo, Prob. Ant. Aug. libr. de corrupt. de grat. cap. 12. ait: *Primo homini datum est adjutorio*

## DISSERTATIO III

### DE NECESSITATE GRATIÆ.

D. Thom. Quæst. 109.

#### ARTICULUS I.

Quid intelligatur nomine Gratia.

**R**elictis variis Gratia; acceptionibus, hic sumitur generaliter pro quocumque dono, seu beneficio gratis, hoc est, ex mera Dei beniginitate, non ex justitia, aut ex meritis nostris concessio. Sub hac generali Gratia; acceptione omnia dona naturalia, scilicet ipsa natura, & omnes ejus potentie possunt dici gratia; gratis enim Deus nobis contulit esse, vivere, sentire, intelligere, velle, &c. Hæc tamem, etsi isto lato sensu dicantur gratia; non possunt dici auxilia gratia; quia auxilium supponit eum qui adjuvat, & potentias activas, quas adjuvat. II. Gratia proprie, & communè Scripturæ atque Ecclesiæ sensu accipitur pro dono gratuito, sive habituali sive actuali, nature superaddito. Unde Pelagius deceptus Episcopus Palestinos, dum ab eis interrogatus, an admitteret necessitatem gratia; respondit se admittere, intelli-

perseverantia, non quo fieret, ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. R. N. Ant. ad Prob. N. Ant. ad Prob. dico, S. Aug. his verbis exprimit adjutorium, quod de facto habuit Adam, non quo indiguit ad perseverandum, de quo hic quærimus.

Opponit 2. stante præmotione physica, & in sensu composito illius liberum non esse create voluntati eam rejicere; at, S. Aug. teste, adjutorium Adæ non fuit ejusmodi ergo. R. Majorem esse plusquam falsam, & veram calumniam scholæ S. Thomæ illiberaliter impactam. Dicunt enim Thomistæ de præmotione, ea stante, & in sensu composito illius, cum Cone. Trid. quod voluntas creata eam abjicere possit. Insuper loquitur August. loco cit. a Tournely de Auxilio sine quo non, quod habuit Adam; non de auxilio quo, quod non habuit.

Opponit 3. Prædeterminatio physica nusquam a create voluntate deseritur; at tale profectò non fuit adjutorium Adami innocentis; tale quippe erat adjutorium, inquit Aug. quod desereret, cum vellet. R. ut antè, D. Min. Tale non fuit adjutorium Adami, quod habuit, C. Quod non habuit, & quo indiguit, N. De primo loquitur Aug. in verbis cit.

Opponit 4. Si Adamo innocenti ad perseverandum necessaria fuisset præmotio physica, a culpa excusari potuisset, quod non perseveraverit, quia nempe absque ullo precedente peccato caruisset auxilio, quod planè necessarium supponitur, ut quis bene agat, & perseveret: quo dicto, quasi certus de palma, & in hostem prostratum insurgens, dicunt, inquit, Adversarii, cur Deus Adamo innocenti, & ante omne ejus peccatum, tale auxilium subtraxerit? &c. R. hoc argumentum rimas undequaque pari. 1. ut quis sit inexcusabilis, non requiritur, quod habeat auxilium quo perseveret, alioquin nemo unquam foret culpandus; sed sufficit, quod habeat auxilium, quo planè, & facillè potest perseverare, & non perseveret; tale habuit Adam. 2. Denegatum fuit Adamo auxilium quo seu efficax propter culpam tempore concomitantem, natura precedentem. Vide, quæ abundè dixi circa hanc difficultatem Dissert. de volunt. Dei art. 4. §. 3. Nullus Catholicus negat, aut negare potest, Deum potuisse lapsum Adami impedire: Dicat Doctor Sorbonicus, cui solutiones nostræ non sufficiunt, quare non impedivit? Et ipsum non pigeat respondere cum Aug. l. 11. de Genes. ad litt. c. 10. *Quia noluit; cur voluerit, penes ipsum est.* Et de dono persev. c. 12. *Iterum atque iterum dicimus, nec nos pigeat: O homo tu quis es qui respondeat Deo? Inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus. Et hoc adjiciamus: altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris.*

Opponit 5. Necessitatem auxilii, quo creata voluntas ad bonum indeclinabiliter inclinatur, unice repetit Aug. c. 12. ex infirmitate nature lapsæ, non ex necessitate physicæ præmotionis. R. Aug. loqui de necessitate auxilii sanantis, & medicinalis, non simpliciter moventis, & applicantis. Patet ex supradictis. Alibi autem agens generaliter de auxilio, seu motione Dei, ejus necessitatem etiam repetit ex dependentia creaturæ a Deo, ut probavimus. Et hæc plusquam satis de ista questione

gens per gratiam liberum arbitrium, & facultates naturales: Nullum enim, illi Episcopi, aliam Dei gratiam intelligere poterunt, inquit Aug. Ep. 95. nisi quam in libris Dei legitur, & populus Dei predicare consueverunt.

III. Gratia hæc, tam habitualis, quam actualis, est duplicis ordinis, naturalis scilicet, & supernaturalis: naturalis, quæ movet ad bonum intrâ spheram naturalium, ut si Deus infundat lumen scientiæ naturalis, aut moveat specialiter ad rerum naturalium cognitionem. Supernaturalis, quæ vel habitu vel motione adjuvat ad ea, quæ excedunt vires nature, ut cum Deus infundit habitum fidei, vel charitatis, aut movet ad alterutrum actum. Inter utrumque hoc auxilium potest adhuc distingui alterum quasi medium, quod de utroque aliquid participat, scilicet ut sit naturale quoad substantiam, & supernaturalis quoad modum, & hoc, vel ex parte principii, vel ex parte termini; ex parte principii, ut v. g. dum Deus eum natum illuminavit: modus namque operandi hunc effectum fuit supra vires nature, quamvis effectus, consequentur ip-

ipsa gratia, substantialiter sit intrâ ordinem nature; non enim iste visus fuit alterius rationis, quam visus ceterorum hominum: ex parte termini, ut si Deus ex Providentia supernaturali imperans naturali dirigat, ut moveat res naturales in ordine ad salutem supernaturalem.

IV. Verum, quia gratia dividitur contra naturam, gratia præcisè sistens in bono naturali minus proprie dicitur gratia: unde propriissime dicitur gratia, vel habitus supernaturalis infusus, ut gratia sanctificans & virtutes infusæ; vel motio supernaturalis, qua nos movet Deus ut primus motor in ordine gratia; ad actus supernaturales; vel etiam ea Dei operatio, qua res naturales dirigit ad salutem nostram.

V. Gratia, sumpta pro motione supernaturali, est duplex, moralis & physica. Moralitè fit per ostensionem boni, quandoque adjuncta infusione luminis ad illud percipiendum; pertinet ad causam finalem. Physica fit per influxum effective, & intrinsecè reducendum facultatem ad actum; pertinet ad causam efficientem. Deum utroque modo movere voluntatem, docet Auctor 1. part. quæst. 109. art. 4. & alibi.

VI. Motio physica quandoque est mera applicatio potentie & virtutis præexistentis, ut cum Deus voluntatem justè movet ad actum charitatis. Quandoque, licet sit applicatio potentie, non est tamem applicatio virtutis, quia non præexistit, sed eam secum adfert per modum transcursus, ut dum Deus voluntatem peccatoris movet ad actum attritionis, aut contritionis: cum enim iste actus sit supernaturalis, & in illo peccatore nullus adhuc habitus supernaturalis existat, necesse est, ut illa motio conversionem inchoans secum adferat aliquam virtutem supernaturalem, non per modum habitus permanentis, sed per modum passionis transeuntis.

VII. Motio illa physica, quæ est mera applicatio potentie & virtutis præexistentis, iterum est duplex. Una generalis, qua Deus ut primus, & universalis motor applicat facultates secundum exigentiam, & modum earum ad actus sibi proportionatos. Altera specialis, qua Deus quandoque mentem hominis applicat ad cogitandum, vel volendum, quæ licet non excedat ejus vires, tamem secundum consuetum cursum, & dispositionem subiecti, homo ea non cogitaret nec vellet, & hoc tam in naturalibus, quam in supernaturalibus; ut dum hominem justum nihil cogitantem movet subito, & sine prævia dispositione ad aliquod supernaturale cogitandum, aut volendum, qua motione sic movetur homo, ut non se moveat, sicut dum movetur ad primam volitionem finis; de qua motione dixi Dissert. 3. de Actibus humanis art. 3. ut dissiparem hallucinationem quorundam, qui ex respons. S. Thom. ad 3. art. 6. quæst. 9. arbitrantur, eum hunc solam præmotionem physicam ad bonum in communi docere. Hæc autem motio specialis potest dici propriissime auxilium gratia;.

Observatio singularis.

VIII. DE altera motione generali, qua Deus ut primus & universalis motor, tam in ordine nature, quam in ordine gratia; applicat potentiam, & virtutem præexistentem secundum ejus exigentiam, & consuetum rerum cursum ad actus ipsi proportionatos, primo aspectu videtur non pertinere proprie ad auxilium speciale gratia; quia non datur gratuito, sed ex conaturali quadam exigentia; sicut enim, supposita collatione virtutis naturalis, illi debetur motio, seu concursus generalis ipsam præmovens ad actum proprium, ut igni ad comburendum, Soli ad illuminandum, ita quod sine miraculo non possit illi denegari; sic, quamvis justo data sit gratis virtus elevans ad bonum supernaturale, ea tamem supposita debetur quodam modo, juxta leges communis Providentiæ, generalis motio illam applicans ad actum ipsi proportionatos. Attamen, si rem alius consideremus, hæc motio generalis potest, & debet aliquo vero sensu dici speciale auxilium gratia; pro cuius intelligentia observandum est, hanc motionem generalem non eodem modo se habere in agentibus naturalibus, & voluntariis. Agentia naturalia habent naturalem formam, qua determinantur necessario ad unum actum sibi convenientem, ut ignis ad comburendum, Sol ad illuminandum, & sic exigunt motionem generalem determinatam ad actum sibi proprium. Agentia autem voluntaria non habent formam naturalem, qua determinentur necessario ad unum actum sibi convenientem, sed veritabilia sunt ad opposita, & defectibilia a bono sibi conaturali. Sic, licet obiectum intellectus sit verum, voluntatis secundum se bonum naturale, voluntatis ut instructæ virtutibus infusis bonum supernaturale; tamem intellectus ad verum, & voluntas ad bonum sive naturale, sive supernaturale; feruntur flexibiliter, & sunt ab illo defectibiles. Unde, quamvis istis potentis debeat motio generalis, qua aliquando attingunt suum obiectum, non tamem ut attingant semper, & indefectibiliter. Quod

ergo hic & nunc isti detur potius, quam alteri, est ex speciali gratia. Quapropter, si ista motio generalis consideretur respectivè ad naturam secundum se, aut ut instructam virtutibus infusis, dicenda est motio generalis, & non auxilium speciale gratium; quia ad providentiam generalem pertinet movere unumquodque agens secundum modum suum; & cum in homine sit inclinatio, attenuata licet & defectibilis, non tamen totaliter corrupta ad bonum, illi debetur motio, qua aliquando moveatur ad actum bonum sibi convenientem, & non semper ad malum. Unde, quod moveatur aliquando ad bonum, non est auxilium pure gratuitum, quia quodammodo debetur; neque speciale, quia non est ex speciali benevolentia & providentia, sed secundum leges communis providentiæ, quæ naturas defectibiles quandoque movet ad bonum suæ nature, quandoque permittit deficere. Idem dic de voluntate informata charitate respectu boni supernaturalis. Sed, si ista motio consideretur respectivè ad hominem, cui datur præ alio; tunc respectu hujus hominis potest, & debet dici speciale auxilium gratia; quia, quamvis natura, ut dictum est, exigat quandoque moveri in bonum, non tamem hic homo præ altero existit, ut hic & nunc potius, quam alter moveatur in bonum. Unde, quod moveatur in bonum, a quo alter deficit, & a quo ipse deficere poterat, est ex auxilio speciali gratia; id est, gratis collato.

Hanc observationem, quæ cuique nature attendenti per via est, expendit & tradit S. Thom. quæst. 24. de verit. art. 14. his verbis: *Quomodo, inquit, bona nature sue proportionata homo possit facere sine gratia gratum faciente, non tamen sine Deo, cum nulla res possit in naturalem operationem exire nisi virtute divina: & hoc verum est tam in naturalibus agentibus, quam in voluntariis. Tamem hoc alio modo habet necessitatem in utrisque: Operationis enim naturalis in rebus naturalibus Deus est causa, in quantum dat & conservat id, quod est principium naturalis operationis in re, ex quo de necessitate determinata operatio sequitur, supposita semper generali motione; quam, licet hic non exprimat, supponit tamen & alibi exprimit. Hanc autem generalem motionem non sufficere homini, ut agat bonum sibi conaturale, sed indigere speciali motione & directione, explicat sic prosequendo: Sed voluntas hominis non est determinata ad unum aliquam operationem, sed se habet indifferenter ad multas (id est, bonas & malas) & sic quodammodo est in potentia, nisi moveatur per aliquod activum, vel quod ei exterius representatur, vel quod in ea interiori operatur. Omnes autem exteriores motus (idem dic de interioribus) a Divina Providentia moderantur secundum quod judicat aliquem esse excitandum ad bonum his, vel illis actionibus. Unde, si gratiam Dei velimus dicere non aliquid habituale donum, sed misericordiam Dei, per quam in eius motum mentis operatur, & exteriora ordinat ad hominis salutem; sic nec ullum bonum homo potest facere sine gratia Dei. Ergo, juxta S. Thom. homo propter indifferenciam humani arbitrii, ut bonum potius, quam malum agat, indiget divina providentia, quæ secundum quod judicat convenire, moderatur motus ad bonum, & misericordia Dei, per quam interioris motum mentis operatur, & exteriora ordinat ad bonum. Nemo autem dicere potest, hoc auxilium esse huic homini præ altero debitum: ergo est gratuitum; quia non datur ex merito, sed ex misericordia: est & speciale, quia non omnibus datur, quantumvis respectivè ad naturam secundum se sit & debitum & generale. Hæc observatio, quam antè nos fecerunt Doctissimi Bancel & Goudin, omnino necessaria est ad enodandas difficultates, alioquin intricatissimas, hujus Dissertationis. Tollit namque ambiguitates & æquivocationes, propter quas multi cespitant & deluduntur, conciliatque opinionibus Thomistarum apparenter contrarias, ut patebit ex dicendis.*

Totam suam quæstionem concludit S. Thom. 10. articulis: 1. Utrum absque gratia possit homo aliquid verum cognoscere? 2. Utrum absque gratia possit aliquid bonum facere, vel velle? 3. Utrum absque gratia possit diligere Deum super omnia? 4. Utrum absque gratia possit per sua naturalia præcepta legis servare? 5. Utrum absque gratia possit mereri vitam æternam? 6. Utrum ad gratiam possit se præparare sine gratia? 7. Utrum possit resurgere a peccato sine gratia? 8. Utrum sine gratia possit non peccare? 9. Utrum homo gratiam consecutus possit absque alio divino auxilio bonum facere, & vitare peccatum? 10. Utrum possit perseverare per seipsum? Quas difficultates pro modulo explicare conabimur articulis seq. Unde sit



## ARTICULUS II.

Utrum homo absque gratia possit aliquid verum cognoscere?

Suppono tanquam principium ab omnibus receptum, quo omnes difficultates de necessitate gratiae debent dirimi, in quovis bono opere nihil gratiae auxilio esse subtrahendum. Ita definitur Caelestinus, aut quisvis alius Pontifex Auctor Capitulum, quae ipsi adscribuntur c. 12. his verbis: *Gratiae operi & dignitati nihil penitus subtrahendum est.* Hoc principium in Scripturis, Conciliis, Patribus, & communi sensu fidelium fundatum omnes admittunt, sed diversimodè explicant. Pelagiani dicebant, Deum esse Auctorem omnis boni operis, quantum dedit facultatem bene agendi. Semi-Pelagiani omnia bona opera Deo referebant, sed aliquid initium bonae voluntatis & perseverantiam libero arbitrio reservabant. Molina initium & progressum boni operis Deo concurrenti simultaneè tribuit, sed partialiter, nostrumque consensum ad illum minus referre videtur. Jansenistae, & qui dicuntur Augustiniani, totum bonum opus, etiam bonum usum gratiae, in hoc presenti statu Deo tribuunt: at in statu innocentiae bonum usum gratiae libero arbitrio referunt. Vides, in his omnibus modis aliquid subtrahi operi gratiae. Unde Thomistae cum suo Doctore 1. p. q. 103. art. 3. & in hac. q. art. 1. & seq. & alibi sic istud principium explicant, quod Deus non solum homini dedit, & conservat virtutes bene agendi, sed etiam eas movet, & applicat ad agendum: his enim duobus continetur quicquid est entis & boni in opere. Hoc generali principio statuto, quaerimus 1. de necessitate gratiae ad cognitionem veri. Veritates autem sunt duplicis generis; aliae sunt naturales, aliae supernaturales. De prioribus sequenti §. de posterioribus subsequenti. Unde sit

§. I. Utrum homo lapsus possit absque gratia cognoscere veritates naturales?

Nota, quasdam esse veritates naturales, quae pro hoc statu conjunctionis animae ad corpus sunt intellectui nostro proportionatae, ut sunt, quae ex sensibilibus, vel ex principiis per se notis deducuntur. Aliae sunt, quae captum hominum pro hoc statu superant, vel quia sunt sensibus imperviae, ut sunt, quae latent in visceribus terrae, aut in orbibus caelestibus; vel quia sunt purae spirituales, ut substantia Angeli; vel quia non habent connexionem cum principiis naturaliter notis, ut sunt cogitationem cordium, & futura contingentia. Constat, has posteriores non posse cognosci sine extraordinario Dei auxilio. Unde de his non est quaestio, sed de primis tantum. Item inter veritates naturales quaedam sunt purae speculativae, quae scilicet nullo modo spectant praxim, ut quodlibet est vel non est, totum est majus sua parte, bis tria sunt sex, &c. Quaedam sunt practicae, quae ordinantur ad praxim, ut bonum est faciendum, Deus est colendus, parentes sunt honorandi, &c.

Dico 1. (Hic quest. 109. art. 1. o.) Homo lapsus sine gratia speciali naturae superaddita, sed cum solo concursu generali praevio, qui tamén aliquo sensu debet dici specialis & gratuita, potest cognoscere quasdam veritates naturales. Est contra quosdam antiquos, & Vazquez. Prob. 1. pars. (Ibid.) Unaquaque forma, seu virtutis indita rebus creatis a Deo habet efficaciam respectu alicujus actus determinati, in quem potest secundum suam proprietatem; de ratione enim virtutis activae est, ut sit effectiva proprii actus: sic Sol ratione luminis naturalis potest illuminare; ignis ratione caloris sibi naturaliter inditi calefacere; atqui intellectus noster etiam in praesenti statu habet aliquam formam veri cognoscitivam, scilicet ipsum intelligibile lumen, quod licet sit per peccatum aliquo usque obscuratum, non est tamén penitus extinctum: ergo potest ex se aliquam veritatem naturalem cognoscere. Adde, quod alioquin potentia intellectiva, quae est omnium potentiarum perfectissima, foret imperfectissima. Confirmatur: Visus non indiget speciali auxilio naturae superaddito ad videndum coloratum illuminatum: ergo nec intellectus ad cognoscendum verum sibi proportionatum. Nec refert, quod potentia intellectiva sit laesa per peccatum, & non visiva. Esto sit laesa, non tamén omnino extincta.

Prob. 2. pars, nempe requiritur concursus generalis praevious. (Ibid.) Omnes motus, tam corporales, quam spirituales, reducuntur in primum movens simpliciter, quod est Deus: & ideo quantumcumque natura aliqua corporalis, vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere, nisi moveatur a Deo; quae quidem motio est secundum suae providentiae rationem, non secundum necessitatem naturae, sicut motio corporis caelestis. Attamen, & est 3. pars Conclusionis, haec motio, quam dicimus generalem, potest & debet, juxta observationem art. praecedentis, dici aliquo vero sensu specia-

lis & gratuita. Cum enim intellectus noster sit defectibilis, & flexibilis ad assentiendum vero vel falso, illi debetur secundum leges communis providentiae, ut aliquando moveatur in verum, & non semper in falsum. Et hoc sensu motio est generalis & quodammodo debita, ideoque non debet dici gratia. At, quod ille potius moveatur ad verum, quam alter, qui ab eo deficit, & a quo ipse deficere poterat, id ipsi non debetur; sed est ex speciali providentia & benevolentia. Et hoc sensu potest, & debet dici motio & gratia specialis.

Hac explicatione evertitur fundamentum Vazquezii, petitur ab indifferentia nostri intellectus ad assensum veri, vel falsi. Etiam juxta illam exponenda sunt, quae opponuntur ex Scripturis, Patribus & Conciliis; vel intelligenda de cognitione supernaturalium, vel naturalium quidem, sed ad veram justitiam, & sanctitatem per se conducente. Item solvitur argumentum petitum ab oratione, quam saepe fundimus ad intelligendas veritates naturales. Hoc ipso enim quod ista motio non sit debita uni potius quam alteri, sed tantum naturae secundum se, subest unicuique legitima causa eam oratione implorandi, & pro obtenta gratias agendi. Si dicas, Aug. contra Pelagianos ex oratione inferre necessitatem specialis gratiae supernaturalis, R. Aug. ex oratione facta pro rebus excedentibus vires naturae inferre quidem necessitatem gratiae supernaturalis; non autem ex oratione facta pro rebus ordinis naturalis, de quibus hic agimus. Haec enim oratio probat eundem necessitatem gratiae specialis, sed non supernaturalis.

Dico 2. Homo lapsus absque gratia speciali superaddita non potest, potentia saltem morali, cognoscere sive collectivè, sive divisivè omnes veritates naturales tam speculativas, quam speculativo-practicas, & fortiori practico-practicas. Dixi 1. *Potentia saltem morali*: Duplex enim distinguitur potentia, physica scilicet, quae habet ex se debitam proportionem cum objecto, abstrahendo ab impedimentis illud attingendi; & moralis, quae praeter debitam cum objecto proportionem nullis impedimentis irretitur, aut retardatur, ne in actum exeat & objectum attingat. Plures non improbabiler tenent, hominem lapsum attingere speciali gratia posse potentia physica cognoscere omnes veritates sensibus cognoscibiles, non solum divisivè, sed etiam collectivè; quia, inquam, non excedunt capacitem hominis ingenio acuto pollutis. Sed, quicquid sit de ista sententia, quae probabilior est quoad cognitionem divisivam, quam quoad collectivam, dicimus illi saltem non posse potentia morali. Dixi 2. *Veritates speculativo-practicas, &c.* Voco veritates speculativo-practicas, quae, quamvis spectent praxim, ad actum tamen non movent; ut sunt principia generalia Syndereseos, & propositiones universales, quae pertinent ad Philosophiam moralem, v. gr. bonum est faciendum, Deus est colendus, Parentes sunt honorandi, &c. Voco practico-practicas, quae movent in particulari ad actum, ut Parentes hic & nunc sunt honorandi, hoc furtum hic & nunc non est faciendum. Cum autem has veritates practico-practicas semper consequatur actus bonus, eadem est ratio de illis ac de operatione boni, quod spectat articulos sequentes, in quibus ostendemus hominem lapsum non posse absque gratia speciali operari quodcumque bonum. Unde hic est quaestio tantum de veritatibus speculativis, & speculativo-practicas.

Prob. 1. pars de cognitione omnium veritatum naturalium collectivè. 1. Potentia infirma & laesa non potest producere actum excellentissimum potentiae sanae & integre; atqui cognoscere collectivè omnes veritates naturales est actus excellentissimus intellectus sani & integri; intellectus autem humanus est per peccatum laesus & infirmus: ergo. Unde S. Thom. 4. contr. G. c. 52. loquens de poenis spiritualibus peccati originalis dicit: *Inter spirituales poenissima est debilitas rationis, ex qua contingit, quod homo difficulter pervenit ad veri cognitionem, & de facili labitur in errorem, & appetitus bestiales omnino superare non potest, sed multoties obnubilatur ab eis.* Ubi ponit vulnus ignorantiae, 1. in intellectu speculativo, deinde in practico; quatenus non potest superare appetitus bestiales, a quibus obnubilatur. Et hic art. 2. ad 3. *Magis natura humana corrupta est quantum ad appetitum boni, quam quantum ad cognitionem veri*: ergo etiam corrupta est quantum ad cognitionem veri, licet minus. Et inde convellitur praecipuum fundamentum adversae sententiae Cajetani, qui ponit ex S. Thom. solum intellectum practicum, & non speculativum, fuisse vulneratum. 2. Facultas intellectiva in homine lapsus multis impedimentis irretitur, non possit omne verum collectivè sumptum sine errore attingere. Primum est brevitatis vitae ex una parte, & ex altera infinita prope veritatum naturalium multitudo. Secundum infirmitas corporis & sensuum, a quibus pendet cognitio, qui diuturno, & acris studio debilitatur. Tertium vitae civilis officia, cura domestica, necessitates naturae, quibus maxima pars vitae absumitur, & a studio veritatis mens avocatur. Quartum deordinatio passionum, quibus

12-

## DE GRATIA.

ratio obnubilatur, torpet amor veritatis, & delectatio contemplationis: ergo.

Prob. 2. pars de cognitione quantumcumque veritatum naturalium divisivè, iisdem ferme rationibus. 1. Voluntas, quia est vulnerata, non potest absque gratia speciali quodcumque opus bonum morale facere, ut dicemus infra: ergo similiter intellectus vulneratus non potest sine gratia speciali quodcumque verum cognoscere. Neque obstat, quod voluntas sit vulnerata in ipso principio operandi per aversionem a fine ultimo; finis enim est voluntati primum operandi principium: Intellectus autem non sit vulneratus in intrinseco lumine, sed in extrinsecis tantum, propter scilicet quaedam impedimenta ex enumeratis non obstat, inquam, quia haec disparitas probat ad summum remanere in intellectu potentiam physicam ad cognitionem cujuscumque veri, non moralem, de qua procedit conclusio. Unde 2. Sunt veritates naturales difficilissimae, ad quas certo & integre intelligendas requiritur diuturnum & acre studium, consequenter voluntas constanter bona, ardens amore veritatis, delectatio contemplationis, quies passio, firmitas & bona dispositio sensuum, & otium curis vacuum: atqui haec omnia non habentur in praesenti statu, ut dixi in probat. 1. partis: ergo.

Confirmatur: inter veritates naturales sunt quaedam adeo arduae & difficiles, ut nullis hominum certam eorum cognitionem hic usque adipisci poterit; v. gr. reciprocatio fluctuum maris, sensatio animae, natura luminis solaris, productio arboris ex minuto grano, & sexcenta alia. Quis enim audebit certo asserere id aut sic esse, & non aliud, aut aliter: atqui id, quod hactenus factum non est, merito judicatur fieri non posse secundum naturam. Et ex hoc principio Hieron. Dialogo I. contra Pelag. probat, hominem non posse propriis naturae viribus vivere sine peccato.

Dices: Difficillima veritatum naturalium cognitio ea est, quae habetur de existentia Dei, utpotè entis immaterialis ex effectibus naturalibus; atqui potest haberi sine gratia speciali, ut patet ex illo ad Rom. 1. *Invisibilia Dei per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur*: ergo. R. N. Maj. Ex effectibus enim visis quodammodo potest asserere ad cognitionem existentiae causae, etiam immaterialis. Sed, si ulterius velit progredi ad cognitionem perfectionem & quidamvis causae, nego eam posse haberi sine gratia speciali. Petes, utrum gratia, quam dicimus necessariam ad omnium veritatum naturalium cognitionem, sit supernaturalis, aut naturalis? R. esse entitativè naturalem; quae cognitio, ad quam datur, est entitativè naturalis: esse autem supernaturalem quoad modum, quia datur ex speciali providentia & supra cursum communem virtutis naturae: sic resurrectio Lazari fuit naturalis entitativè, supernaturalis quoad modum.

§. II. Utrum homo lapsus veritates supernaturales, seu quae sunt fidei, possit absque speciali gratia cognoscere, & amplecti?

Dico 1. Homo lapsus, supposita praedicatione, seu revelatione externa, potest cum solo praevio concursu generali, sine speciali gratia superaddita, cognoscere & amplecti veritates supernaturales assensus imperfecto ex aliquo motivo humano. Est communis: Primam partem, scilicet supponendam & necessariam esse externam revelationem, docet Apost. Rom. 10. dicens: *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante?* Et patet; quia nihil possumus cognoscere pro hoc statu, nisi quod cadit sub sensibus per se, vel per aliud. Verum autem supernaturale, cum nullam habeat connexionem cum operibus naturae, non cadit sub sensibus per se, nec per aliud. Patet etiam 2. pars. Quia verum supernaturale, prout subest motivo humano, seu naturali, licet entitativè sit supernaturale, in ratione tamen objecti formaliter non est supernaturale; quia objectum in ratione objecti formaliter constituitur per motum seu rationem formalem, sub qua attingitur: ergo, supposita revelatione externa, potest ex motivo humano propriis viribus credi. Idque patet in Hereticis, qui fide humana credunt quaedam mysteria fidei, non ex motivo supernaturali divinae revelationis, aliis omnia crederent, sed vel ex proprio iudicio, vel quia hujusmodi fidem sibi honorificam, aut utilem existimant, sic etiam videmus, quandoque homines ex aliquo motivo humano credere firmiter & pertinaciter defendere, quae superant eorum caput, quantumvis mira & extraordinaria, ut sunt v. gr. Mahumetani.

Dico 2. (Ibid. art. 1. o.) Homo non potest credere veritates supernaturales ex motivo supernaturali divinae revelationis sine gratia speciali interna tam ex parte intellectus, quam ex parte voluntatis. Est 1. contra Pelagium, qui in primis statibus suae heresios non requirebat ad assensum fidei, nisi revelationem. Billuart. Pars Secunda.

lationem externam. 2. Contra Semi-Pelagianos, qui volebant pium affectum credulitatis esse a nobis. 3. Contra quosdam Theologos, qui dicunt hominem lapsum posse propriis viribus assentiri assensu naturali veritatibus supernaturalibus ex motivo divinae revelationis, & cum edotus fuerit requiri fidem, seu assensum supernaturalem, posse illum optare & petere, & sicque faciendi viribus naturae, quod in se est, se ad supernaturalem disponere, eaque infallibiliter consequi, non quidem merito illarum actionum naturalium, sed ex pacto inter Deum & Christum inito, quo facienti ex viribus naturae, quod in se est, gratia semper datur. Quae sententia nobis videtur non satis recedere ab errore Semi-Pelag. non enim hi dicebant assensum supernaturalem posse elici viribus naturae, id implicat in terminis; neque istum assensum naturalem proprie mereri dona gratiae, sed esse tantum occasionem, quam Deus arripere, ut conferret gratiam: ut jam alibi dixi.

Prob. 1. pars, 1. ex Scriptura Matth. 11. *Nemo novit Filium nisi Pater; neque Patrem quis novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Cap. 16. Petro suam fidem in Christum profertur dicit Christus: *Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est.* Ephes. 2. *Gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est, non ex operibus, ut quis gloriatur.* Et ne forte dicas, haec esse intelligenda de gratia externae revelationis, attende sequentia: Apost. ad Ephes. 1. orat, ut *Deus det illis Spiritum sapientiae & revelationis in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis eorum, ut sciant, quae sit spes resurrectionis ejus.* Act. 16. *Deus aperuit cor Lydiae intendere his, quae a Paulo dicebantur.* 1. Tess. 1. *Evangelium nostrum non fuit in sermone tantum, sed in virtute et Spiritu S. 1. Cor. 3. Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Ezech. 11. *Deus pronovit se daturum cor novum & spiritum novum Apost. Rom. 11. Quis prior dedit illi, et retribuatur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* Porro dare Spiritum sapientiae, illuminare oculos cordis, aperire cor, & Spiritu S. dare incrementum, cor novum & spiritum novum, & omnia, procul dubio non solum externam revelationem, sed internam gratiam dicunt.

Prob. 2. ex Concil. Araus. 2. Can. 5. *Si quis augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum... non per gratiae donum, id est, per inspirationem Spiritus S. corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis Dogmatibus adversarius probatur.* Et Can. 6. *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, petentibus, misericordiam dicit conferri divinitus, non autem, ut credamus, vel haec omnia sicut oportet agere valeamus, per infusionem & inspirationem Spiritus S. in nobis fieri confitetur, resistit Apostolo dicenti: Quid habes, quod non accepisti? Idem habet Concil. Trid. sess. 6. Can. 3. *Neque te moveat haec clausula sicut oportet; ille enim, qui credit ex motivo supernaturali divinae revelationis, credit, ut oportet.**

Prob. 3. ex Aug. qui ante Episcopatum aliter senserat, &c. 3. de Praedest. Sanct. se retractat maxime convictus hoc Apost. testimonio: *Quis te discernit? Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non accepisti? Quo praecipue testimonio, inquit, etiam ipse convictus sum; cum similiter errorem putans fidem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed a nobis esse in nobis, & per illam nos importare Dei dona, quibus temperanter, et iuste, et pè vivamus in hoc saeculo.*

Prob. 4. ratione. Actus fidei, quo assentimur veritatibus supernaturalibus ex motivo divinae revelationis, est supernaturalis: ergo intellectus non potest illum elicere, nisi adjuvato auxilio supernaturali. Prob. Ant. Objectum hujus actus, seu assensus est formaliter & ratione objecti supernaturale: objectum quod enim, nempe ipsa veritas, est in se supernaturale: Objectum quo, scilicet motum, seu ratio formalis sub qua est etiam supernaturale, scilicet divina revelatio; atqui objectum supernaturale formaliter qua tale non potest attingi nisi ab actu supernaturali: ergo. Et hinc evertitur fundamentum Molinae, qui dicit assensum fidei ex motivo divinae revelationis esse quoad substantiam naturalem, & supernaturalem tantum quoad modum.

Prob. 2. pars, scilicet etiam requiritur gratiam supernaturalem ex parte voluntatis. Ad credendum veritates supernaturales ex motivo supernaturali divinae revelationis requiritur pia motio voluntatis, quae efficaciter moveat intellectum ad talem assensum; atqui voluntas non potest suis viribus sine auxilio supernaturali movere efficaciter ad actum supernaturalem, qualis est assensus veritatibus fidei ex motivo divinae revelationis: ergo. Prob. Maj. In hoc differunt veritates naturales à supernaturalibus, quod naturales possint esse, vel ex

1311

scip-



seipsis, vel ratione medi evidentes, sique convincunt intellectum, & eius assensum extorquent absque motione saltem libera voluntatis; at veritates supernaturales revelate neque ex seipsis, neque ratione revelationis sunt evidentes, proinde non convincunt intellectum, nec eius assensum obtinent, nisi ad hunc specialiter a voluntate moveatur.

Dices 1. Sola ratio naturalis sufficit ad ea firmiter credenda, quae per naturale lumen fide digna esse censentur; atqui solo lumine naturali possumus convinci mysteria fidei esse fide digna, dum nempe sufficientibus argumentis, & evidentia signorum eorum credibilitas ostenditur: ergo. Respondet Goudin Tract. de grat. quæst. 3. art. 2. majorem esse veram de ratione naturali sana, & non impedita; non verò de ratione jam corrupta, & impedita, qualis est in peccatore infidelis: ut enim homo propositam sibi fidei doctrinam pie, & fideliter amplectatur, oportet ejus intellectum bene disponi, & voluntatem pie affici ad veritates illas cœlestes: cum enim veritas fidei sua evidentia mentem non cogat, requirit mentem docilem, & voluntatem pie affectam erga Deum illam revelationem; atqui homo nisi per gratiam Christi sanetur, non modò caret his duobus, sed etiam contrariis dispositionibus afficitur, nempe excitata in intellectu, & duritia ac malitia in voluntate. Unde 1. Cor. 2. dicitur: *Animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei: Stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur.* Quod variis aliis Scripturæ testimoniis probatur. Hæc responsio vera est; attamen inhaerendo principiis positus, R. D. Maj. Sola ratio naturalis sufficit ad ea firmiter credenda, quae per naturale lumen fide digna esse convincuntur, ad firmiter credenda fide innixa soli evidentie signorum, C. Hæc enim fides est humana, nec ita certa sicut fides divina. Fide innixa motivo supernaturali divine revelationis, qualem asserunt Theologi, contra quos disputatur, N. hæc est enim fides divina, & supernaturalis, ut probavimus, ad quam proinde requiritur auxilium supernaturale.

Inst. 1. demones credunt, Jacobi 2. credunt autem sine gratia; atqui credunt ex motivo divine revelationis: ergo. R. N. Min. Sed credunt coacti signorum evidentia.

Inst. 2. Juxta Aug. de dono persev. c. 14. inest infidelibus quaedam naturalis credendi facultas, si fides eis congruè proponatur; reddens enim rationem, cur Tyrus credidissent, si Christi mira signa vidissent, non assignat auxilium supernaturale, sed lumen naturale: *Apparet, inquit, habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentie, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant:* ergo. R. Aug. his verbis nihil aliud significare, quam quòd quaedam signa magis congruunt quibusdam, quam aliis, quod nemo negat; non autem dicit id sufficere, ut quis fidem amplectatur; imò expressè negat paulò post subjungens: *Audiunt enim hæc, & faciunt, quibus datum est: non autem faciunt, sive audiant, sive non audiant, quibus datum non est.* Et explicans, quomodo illis datur ut credant, id refert, non ad meliorem dispositionem naturalem, sed ad gratiam cordis, & spirituales aures, juxta illud Prophetæ, quod ibidem laudat: *Dabo eis cor cognoscendi me, & aures audientes.* Unde l. 10. conf. c. 6. dicit: *Nisi Deus alius miseretur, omnia forinsecus testimonia surdis loquuntur.*

Inst. 3. Veritates supernaturales sunt intrà objectum specificativum nostri intellectus: ergo potest propriis viribus illas attingere. R. D. Ant. Sunt intrà objectum specificativum, sed improporcionatum, nostri intellectus, C. intrà objectum proportionatum, & connaturale, N. Objectum enim proportionatum, & connaturale intellectus humani est ens intelligibile per species haustas a sensibus; veritates autem supernaturales divinitus revelatas non cognoscit intellectus humanus per species haustas a sensibus. Unde debet medio lumine elevari, & constitui in eodem ordine supernaturali.

Inst. 4. acrus fidei potest fieri propter malum finem, puta vanam gloriam, ut docet Aug. libr. de catechiz. rudibus c. 27. atqui ad talem actum fidei non requiritur gratia supernaturalis: ergo. Respondent quidam, hanc fidem esse humanam. Attamen, si supponatur actum elici ex motivo divine revelationis, & simul referri ad vanam gloriam, erit ex parte supernaturalis: in qua suppositione, R. Hunc actum fidei ex parte, qua est supernaturalis, & in esse physico, esse a gratia speciali; non quatenus est malus, & in esse morali. Sicut, qui consecrat propter vanam gloriam, aut sorilegium, actio ejus ut consecrativa, & in esse physico est ex auxilio speciali, non ut relata in finem malum, & in esse morali.

Dices 2. Id, ad quod homo tenetur, debet esse in ejus potestate; atqui infidelis, cui proponitur sufficienter Evangelium, tenetur credere: ergo. R. D. Maj. Id, ad quod homo tenetur, debet esse in ejus potestate cum divino auxilio, C. Secluso divino auxilio, N. *Ad multa enim tenetur homo,* inquit Auctor

2. 2. quæst. 2. art. 5. ad 1. *quæ non potest sine gratia reparante, sicut ad diligendum Deum, & proximum, similiter ad credendum articulos fidei; sed tamen hoc potest cum auxilio gratiæ:* quod nulli desit sine sua culpa, ut in 1. parte probavimus. Plura de hac quæstione tam quoad probationes, quam quoad argumenta recurrent Art. sequenti.

ARTICULUS III.

*Utrum homo lapsus possit facere, vel velle aliquid bonum absque gratia?*

**B**onum supernaturale non posse fieri absque auxilio supernaturali, constat ex Art. precedenti, & ex terminis: hoc ipso enim, quòd est supernaturale, superat vires naturæ, consequenter indiget auxilio superaddito viribus naturæ. Quæstio est itaque de bono morali ordinis naturalis, circa quem est triplex difficultas hic discutienda: 1. an sine gratia justificante, & charitate possit fieri aliquid bonum opus morale? 2. an sine fide? 3. an sine gratia speciali actuali?

§. I. *An possit fieri in hoc statu bonum opus morale sine gratia justificante, & charitate?*

**D**ico: (1. 2. quæst. 65. art. 2. & 4. 2. 2. quæst. 10. art. 4. quæst. 2. de malo art. 5. ad 7.) Potest fieri in hoc statu bonum opus morale sine gratia justificante, & charitate; proindeque non omnia peccatorum opera sunt peccata. Conclusio est de fide, contra Hæreticos nostri temporis decisæ: 1. In Conc. Constantiensi Sess. 15. adversus Wicleffum, & Hus, quorum iste articulus damnatur: *Ex principiis fidei est per se notum, quòd, quidquid homo in mortali peccato fecerit, peccat mortaliter.* 2. In Conc. Trid. contra Lutherum, & Calvinum Sess. 6. Can. 7. sic definit: *Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem sunt, quacumque ratione facta sint, vera esse peccata... anathema sit.* Et Can. 8. *Si quis dixerit, gehemè metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus... peccatum esse, anathema sit.* Et Sess. 14. c. 4. definit, attritionem non solum non facere hominem magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus S. impulsim, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo penitens adiutus viam sibi ad justitiam parat, & ad gratiam Dei per Sacramentum obtinendam disponit. Et Can. 5. idem sub anathemate definit. 3. A summ. Pontificibus. S. Pio V. Gregorio XIII. Urbano VIII. & Clémente XI. quorum tres primi damnarunt sequentes propositiones in Bajo: *Omne, quod agit peccator, aut servus peccati, est peccatum.* Est 35. *Omne amor creaturæ rationalis est aut vitiosus cupiditas, aut laudabilis charitas, qua per Spiritum S. in corde diffusa Deus amatur.* Est 38. *In omnibus actibus suis peccator servit dominantis cupiditati.* Est 40. *Clemens XI. has sequentes in Questionello: Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones nostræ nascuntur, amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remunerat; & amor nostri, quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est non refert, & propter hoc ipsum fit malus.* Est 44. *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque ejus actiones corrumpat.* Est 45. *Ejusdem furoris sunt sequentes usque ad 59.*

His omnibus prævit S. Thom. præsertim quæst. 2. de malo art. 5. ad 7. ubi inter cætera decretoriè resolvit, esse simpliciter falsum, quòd omnis actus, qui est ex voluntate non informati charitate, sit demeritorius: alioquin illi, qui sunt in peccato mortali, in quolibet suo actu peccarent, nec eis esset consulendum, quòd interim, quidquid boni possent, facerent; nec opera ab eis facta, quæ sunt de genere bonorum, disponderent eos ad gratiam. Quæ omnia sunt falsa.

Ex quibus formatur duplex argumentum: 1. Scriptura hortatur peccatores ad conversionem, & bona opera, Ezech. 18. *Convertimini, & agite penitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris.* Dan. 4. *Peccata tua eleemosynis redime;* atqui Scriptura non hortatur ad peccatum: ergo. 2. Opera, quæ disponunt ad justificationem, non sunt peccata; per hæc enim magis homo removetur a justificatione; atqui in adultis peccatoribus gratiam sanctificantem præcedunt opera, quæ ipsos ad justificationem disponunt, ut actus fidei, spei, timoris, doloris, &c. quos recenset Trid. Sess. 6. c. 6. ergo. Hæc autem opera sunt bona, non solum bonitate morali naturali, sed etiam supernaturali; tum quia dispositiones debent esse ejusdem ordinis cum forma, ad quam disponunt; tum quia procedunt ex principio supernaturali, vel habituali, puta habitu fidei, vel spei, vel actuali auxilio gratiæ.

Prob. alia ratione. Principium malum in agente non inficit ejus actionem, nisi agat ex illo, sicut principium bonum non

non cohonestat ejus actionem, nisi agat ex illo; atqui peccator non semper agit ex malo principio cupiditatis, sicut juscus non semper agit ex principio bono charitatis, ut dicitur peccat venialiter: ergo. Et hinc inferes, quòd, quamvis non detur medium inter charitatem, & cupiditatem respectu personæ, est enim homo justus, vel peccator; datur tamen respectu ejus actionis, quatenus procedit a principio bono naturæ, quòd non est neque charitas, neque cupiditas.

Dices: Prov. 15. dicitur: *Vitima impiorum abominabiles Domino.* Math. 7. *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* Joann. 9. *Deus peccatores non audit.* ad Tit. 1. *Omnia mundi mandata, inquinatis autem, & infidelibus nihil est mundum; sed inquinata sunt eorum mens, & conscientia:* ergo. R. ad 1. victimas impiorum esse abominabiles Deo, non præcisè quia offeruntur ab impiis, sed quia offeruntur ex malo fine, qualia erant sacrificia Judæorum, qui contemptis præceptis legis, & cultu interno totam suam religionem reponebant in ritibus externis, quos ex hypochrisi, & inani gloria scrupulose observabant. Ad 2. R. peccatorum non esse arbores malam ex omni parte: Bonum enim rationis non est in eo totaliter extinctum. Item potest retinere fidem, & spem, ex quibus principis potest agere, & tunc non agit ut arbor mala, sed ut bona. Igitur D. Ant. Arbor mala, qua mala est, & agit ex malitia, non potest bonos fructus facere, C. Agens, non qua mala, sed qua bona, non potest, &c. N. ad 3. Respondet Aug. l. 2. contra Ep. Parmen. id dictum fuisse a cæco nato, qui nondum erat sufficienter imbutus lumine fidei. Insuper agebatur tunc de miraculo, quòd legerat Christus, hunc cæcum illuminando in confirmationem suæ doctrinæ. Non audit autem Deus peccatores ad patrandam miracula, ut probent suam doctrinam esse a Deo, sicut audiebat Christum: audit tamen in aliis rebus, si non agant ut peccatores, & ex perverso fine. Ad 4. R. Non illic agi de actionibus, sed de rebus. Arguit enim ibi Apost. Judæorum superstitionem, qui putabant esse immundum ex se aliquod genus ciborum, a quo si abstinere, peccabant ex superstitione; si uterentur, peccabant ex conscientia erronea; & sic sive uterentur, sive non, nihil erat ipsis mundum, sed utrinque peccabant.

Plura reddunt §. seq. Si namque nec fides ipsa requiritur ad bonum opus morale, a fortiori nec ipsa gratia habitualis, & charitas ei annexa. Plura etiam argumenta, quæ impugnant defectum fidei, pariter impugnant defectum gratiæ, & charitatis. Unde sit

§. II. *Utrum sine fide possit fieri aliquid opus moraliter bonum?*

**D**ico: 2. 2. g. 10. art. 4. o.) Homo sine gratia fidei potest aliquid opus moraliter bonum facere. Unde non omnia infidelium opera sunt peccata. Est contra Jansenium l. 3. de statu naturæ lapsæ, & contra Bajum, cujus hæc propositio 25. *Omnia infidelium opera sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia,* est damnata a SS. Pontificibus. Prob. ex principiis jam positus. 1. Scriptura hortatur Infideles ad bona opera. Sic Daniel c. 4. alloquens Regem Nabuchodonosor dicit: *Consilium meum placeat tibi; peccata tua eleemosynis redime.* Scriptura autem non hortatur ad malè operandum, nec peccata peccatis redimuntur. Item Scriptura quædam facta Infidelium laudat, & ea a Deo fuisse remunerata testatur. Sic Exodi 1. laudat benignitatem obstetricum Ægyptiarum, quæ noluerunt pueros Hebræorum interficere secundum iniquum Pharaonis mandatum; quam ob causam *Deus eis bene fecit, & quia timerunt Deum, adificavit eis domos,* id est, prolem copiosam concessit. Josue 2. & 6. hospitales Rahab meretricis, quæ viros a Josue missos prodere noluit, laudatur, & remuneratur. Ezech. 29. *Deus dedit Regi Nabuchodonosor terram Ægypti, eo quòd feliciter gesserat bellum adversus Tyrios, sicut Deus mandaverat.* Et Aug. l. 5. de Civit. c. 15. dicit, Deum Romanis concessisse amplum imperium in mercedem temporalem eorum virtutum, & bonorum operum. Subsumo: atqui Deus nec laudat, nec remunerat peccata, sed punit: ergo. Adde egrégium in hac nec testimonium Rom. 2. *Genes, inquit Apost. quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt: ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Quæ verba licet Aug. quandoquæ intelligat de genibus ad fidem conversis; attamen de genibus adhuc incredulis intelliguntur a Tertulliano libr. de Corona milit. c. 6. Ambrosio Ep. ad Irenæum, Hieronymo in Comment. in c. 24. Isaie, & a pluribus aliis Patribus, imò ab ipso Aug. de Spiritu, & Litt. c. 27. ut mox referam.

Prob. 2. ex Aug. de cuius mente potissimum disputatur. S. Doctor de Spiritu, & Litt. cit. explicans textum mox laudatum Rom. 2. de Infidelibus ait: *Si autem hi, qui naturaliter, quæ legis sunt, faciunt, nondum sunt habendi in numero eorum, quos Christi justificat gratia, sed in eorum potius, quorumque etiam impiorum nec Deum veraciter justèque colentium. Quædam tamen Theol. Billuart. Pars Secunda.*

*facta, vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ secundum justitiam regulam non solum vituperare non possunt, verum etiam meriti rectèque laudamus: quamquam, si discuntur, quo fine fiant, vitæ inveniuntur, quæ justitiæ debitam laudem defensionemve mereantur.* Palam est Aug. his verbis agnoscere in Infidelibus quædam bona opera, non solum ex objecto, ut contendit Jansenius, sed etiam exspectato fine. Qui enim dicit, *Vix inveniri,* concedit aliquando inveniri, etsi rarò. Neque solum id asserit Aug. sed etiam probat. *Quia, inquit, non usque adeò in anima humana imago Dei terrenorum defectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remaneant. Unde merito dici posset etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis, vel sapere.* Et paulò infra hæc Apost. verba, *Et habentes opus legis scriptum in cordibus suis,* sic exponit: *Id est, non omnino deletum est, quòd ibi per imaginem Dei, cum crearentur, impressum est... Nam, & ipsi homines erant, & vitæ illa naturæ inerat eis, qua legitimum aliquid animæ rationalis sentit, & facit.* Addit tamen, ob illa rectè facta eas a damnatione non deliberandos, sed solum mitius puniendos, scilicet propter alia peccata: *Nam, inquit, sicut non impediatur a vitæ æternæ justum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vitæ non ducitur; sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillimè vitæ cupiditatis pessimi hominis invenitur.* Item Ep. 130. laudat temperantiam Polemonis, quam gratiæ Dei adscribit. Si autem ex aliquo capite esset peccatum, non gratiæ Dei adscriberet. Similiter l. 4. contr. Jul. c. 3. ex quo adversarij argumenta contra nos desumunt, agnoscit in Infidelibus quædam veras virtutes, ut volebat Julianus, sed contendit eas esse a Deo, & non a solo arbitrio, quòd negabat Julianus. *Quantò ergo tolerabilior, inquit, illas, quas dicit in impiis esse virtutes, divino muneri potius quam eorum tribuere tanquam voluntati.* Ex infra: *Ex quo colligitur, etiam ipsa bona opera, quæ faciunt Infideles, non ipsorum esse, sed illius, qui bene utitur malis.* Plura alia profertur Auctores ex Aug. sed hæc sufficient. Idem censuisse alios SS. Patres, non negat Jansenius. S. Thom. non refero; quia nemini non notum ipsum ex professò docere nostram Conclusionem loco in margine cit.

Prob. 3. Ratione utriusque S. Doctoris Aug. & Thom. Ille potest facere aliquid boni naturalis, in quo non est plenè extinctum bonum naturæ; atqui bonum naturæ, scilicet naturalis inclinatio ad bonum rationis, principia Synderesis, & acquiritatis naturalis, seu ut dicit Aug. imago Dei, licet sit attenuatum, & obscuratum in Infidelibus, non est tamen totaliter destructum, aut per malitiam consummatam penitus abortum: ut in demonibus: ergo. Confirmatur 1. Fidelis justus in via, nondum in bono confirmatus, non semper agit ex habitu dominante fidei, & justitiæ, sed aliquando in levioribus peccat: ergo pariter infidelis in via, nondum confirmatus in malo, non semper agit ex habitu dominante infidelitatis, sed potest quandoquæ in levioribus bene agere. Patet Conseq. quia sic se habet voluntas Infidelis ad malum, sicut voluntas Fidelis justi ad bonum. Conf. 2. Omne peccatum meretur poenam, & eo homo fit deterior; atqui Infidelis, qui ex naturali pietate honorat parentes, nec ex naturali æquitate solvit debita, non meretur poenam, nec eo fit deterior: ergo. Si dicas, has actiones non esse quidem malas ex objecto, sed defectu relationis in Deum, R. opus ex objecto bonum, quòd propter intrinsecam honestatem eligitur, sufficienter refertur in Deum, ut non sit peccatum, ut dicam alibi.

Prob. 4. ab absurdis. Si omne opus ante fidem, & sine fide sit peccatum, sequitur 1. Quòd Infidelibus non esset consulendum, ut, quidquid boni possunt, faciant, ut supra arguebamus cum Auctore de peccatoribus, & quòd melius sit eis abstinere a cultu parentum, ab eleemosynis faciendis, & aliis bonis operibus, dum non urget præceptum; quia faciendo peccabant, omitendo non peccabant; quòd est absurdum, & contrarium Scripturæ citatæ in prima probatione. Sequitur 2. quòd urgente præcepto de istis acibus cogantur peccare; si enim abstinere, peccant, quia urget præceptum; si faciunt, peccant, quia non referunt ad verum Deum. Sequitur 3. Infidelem nihil posse facere, quò sibi viam parat ad fidem.

Solvantur objectiones.

**O**bj. 1. ex Scriptura. Rom. 14. dicitur: *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.* Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Opponitur etiam ex Ep. ad Tit. *Omnia mundi mandata, &c.* Et Matth. 7. *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* Sed hæc duo ultima explicata sunt §. præced. Unde ad 1. R. 1. Juxta SS. Patres Chrysost. Cæcumenium, Theophilactum, & communis hunc textum intelligi, non de fide Theologica, sed de persuasionem, seu conscientia: ita ut sensus sit, omne, quòd non fit ex conscientia dicante id esse licitum, peccatum est. Et hæc interpretatio est omnino conformis sco-



po Apost. agit enim illic de ciborum delectu; & dicit, quod, qui manducat cibum, quem credit illicitum, peccat, quia agit contra conscientiam: Qui discernit, inquit, id est, qui judicat esse illicitum, si manducaverit, damnatus est, quia non ex fide. Omne autem quod non est ex fide, peccatum est. Perinde ac si diceret, quia non est secundum conscientiam: solo autem quod non est secundum conscientiam, peccatum est.

Verum, quia Aug. intelligit hunc textum de fide Theologica, juxta ejus sensum R. 2. cum Auctore (In cap. 14. ad Rom. Lect. 3.) To non ex fide, non sumi negativè, sed contrariè, pro eo quod est contra fidem. Adde, vel Augustinum in hac interpretatione intelligere peccatum largè sumpsum pro opere mortuo, & sterili ad salutem, ut patebit ex mox dicendis. Ad 2. D. Sine fide impossibile est placere Deo in ordine ad salutem æternam, C. in ordine ad honestatem moralem operis, subdistinguo: Sine fide impossibile est placere Deo, id est, opus honestum factum sine fide non placet Deo, N. Id est, persona infidelis operans non placet Deo, C. Non enim quia infidelis facit bonum opus morale, idè est justus, & gratus Deo; ad id deberet referri in Deum propter se dilectum, quod sine fide fieri non potest: attamen ipsum opus non displicet Deo; non enim Deo displicuit obstrictum Egyptianum benevolentia, nec Rahab hospitalitas.

Obj. 2. potissimum ex Aug. qui toto c. 3. l. 4. contra Julian. aperte docet, & probat 1. Nullum opus sine fide esse bonum. 2. Omnia infidelium opera esse peccata, & Philosophorum virtutes esse vitia: ergo R. ad 1. sensum Aug. esse, quod sine fide nullum opus sit completè bonum, & conducens ad vitam æternam: quo sensu intelligimus ipsam Scripturam, dum Ezech. 2. præcepta antiquæ legis dicuntur non bona; non quod essent mala; sed quia non erant perfecta, neque hominem ad perfectionem Legis Evangelicæ perducebant, juxta illud Apost. ad Hebr. 7. Nihil ad perfectum adduxit lex. Ad 2. R. omnia infidelium opera ab Aug. dici peccata duplici sensu. 1. Quatenus sunt infidelium ut infidelium, seu sunt propter pravam finem. Ità interpretatur Augustinus S. Thom. 2. 2. q. 23. art. 7. ad 1. his verbis: Augustinus dicit in 4. contr. à Julianum, quod actus infidelis, in quantum est infidelis, semper est peccatum, etiam si nudum operat, vel aliquid hujusmodi faciat, ordinans ad finem sine infidelitatis, vel ad alium pravum finem. Ità etiam Estius, in Aug. doctrina versatissimus in 2. d. 41. §. 2. qui addit, quod, cum Aug. loqueretur respiciens ad id, quod in pluribus accidit, nimirum homines fide destitutos ita servite dominant cupidi-tati, ut vix generalem boni instinatum sequantur, dixit omnia infidelium opera esse peccata, sumendo omnia proit significat, quod ut plurimum, & sepe accidit: quo sensu dicitur Genes. 5. Cuncta cogitatio cordis intenti esset ad malum omni tempore. Et c. 6. Omnis caro corruperat viam suam: id est, pro majori, & maxima parte, non omnino universaliter: certum est enim, quod cogitatio Noë non erat intenta in malum, nec ipse corruperat viam suam.

Attamen, quia ipse etiam Aug. agnoscebat infideles aliquando, etsi raro, agere ex bono fine, ut patet ex 2. probatione; censet nihilominus hæc eorum opera etiam esse peccata, sumendo peccatum lato sensu; juxta quem id omne dicitur peccatum, & vitiosum, quod a fine deficit, & cui deest plenitudo suæ perfectionis: virtutibus enim, & bonis operibus infidelium, etiam recto fine factis, deerat illa perfectio, qua prodesse poterat ad salutem æternam.

His sensibus concludi mentem Aug. constabit, si exponamus, quis fuerit error Juliani, contra quem disputat Aug. toto illo c. 3. 1. Ità despiciebat Julianus, ut assereret virtutes, & opera ex officio bona, licet ex pravo fine facta, esse veras virtutes, & opera verè laudabilia; ut castitatem esse veram virtutem, opera misericordiæ esse verè bona, etiam cum sunt ex pravo fine, puta, ob vanam gloriam. Ità censuisse Julianum, probat Aug. ex ipsiusmet Juliani verbis: Hæc ubi didicisti, inquit alloquens Julianum, nescio: jam tamen cernis, ut arbitrator, consequens esse, ut vera sit virtus avarorum, qua exco-gians genera lucellorum... ergo virtutes ista tali fine turpes atque deformes, & ideo nullo modo germane veræque virtutes, tibi tamen verè videntur, & pulchra, ut (verba sunt Juliani) nec nominis sui possint, nec generis sustinere dispendum. Deinde statim hanc Juliani dementia impugnat verbis seq. No-veris itaque, non officis, sed finibus, a vitis discernendas esse virtutes. Officium est autem, quod faciendum est: Finis verb, propter quod faciendum est. Cum itaque facit homo aliquid ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur. Quo tu non attendens, fines ab officis separasti; & virtutes veras officia sine finibus appellandas esse dixisti. Ex quo te tanta absurditas sequitur, ut veram cogaris appellare justitiam, etiam cujus dominam reperis avaritiam. Merito itaque negat Aug. ad sensum Juliani virtutes infidelium esse veras virtutes, & eorum opera ex officio bona

esse verè bona, sed & hæc esse peccata, & illas esse vitia, quia nempe pravo fine exercentur. 2. Deinde dicebat Julianus, virtutes infidelium processisse ex eorum bona natura, si abundasse, iis constitutos fuisse simpliciter, & perfectè justos, iis effugere æternam damnationem; non valere tamen, sed esse steriles ad regnum consequendum. An de virtutibus, & solo officio, an etiam ex fine bonis, hæc intelligeret Julianus, incertum est: fortè ad fucum, & illusionem ita loquebatur. Cæterum Augustinus ipsum in his arguit falsitatis, absurditatis, & contradictionis. 1. Negat, quæ tantoperè Julianus laudabat in antiquis Romanis fuisse bona opera, & veras virtutes, quia plerumquæ ex pravo fine agebant, & sic falsum esse eos abundasse virtutibus. 2. Ostendit, absurdum esse veram perfectionem justitiam constitui sine fide per dilectionem operante. 3. Quod si iis virtutibus infideles constituerentur simpliciter, & perfectè justi, non solum valerent ad effugiendam damnationem æternam, sed etiam ad acquirendum Regnum coeleste; sicquæ Julianum sibi contradicere, dum eas diceret steriles ad Regnum Coelorum.

Cæterum, ne questio solis verbis hæretet, totam disputationem concludit Aug. his verbis: Breviter, inquit, accipe, ne foris, cum in rebus ipsis, tantum eres, quantum errari plurimum potest, videatur tecum certare de verbis... Quoniam saltem concedis opera infidelium, que tibi eorum videntur bona, non eos ad salutem sempiternam, regnumque perducere: Scito, nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, sine Dei gratia, que datur per unum Mediatorem Dei, & hominum, nemini posse conferri, per quod solum homo potest ad æternum Dei donum regnumque perducere. Omnia prout cetera, que videntur inter homines habere aliquid laudis, videantur tibi verè virtutes, videantur opera bona, & sine ullo peccato facta, dicuntur secundum te hujusmodi voluntates arbores bonæ & sufficit, quod apud Deum steriles sint, ac per hoc non bonæ. Quibus verbis luce clarius patet, S. Aug. hoc unum contendere, opera, & virtutes infidelium non esse hoc sensu bona, quia ab ordine vite æternæ deficient, eodemque sensu dici peccata, & vitia, quia eis deest hæc suæ perfectionis plenitudo; hoc uno concessio, permittere ut secundum alium sensum dicantur bona, & virtutes.

Ex his maturè perpensis, & rectè intellectis, solvuntur alix instantiæ, que fieri possunt ex Aug. & quas quidam prolixè referunt. Hoc unum addo, Augustinum, si intelligeret sicut intelligit Jansenius, nimirum probare; probaret enim, non solum sine fide, sed etiam sine charitate nullum opus bonum fieri posse, consequenter non solum omnia infidelium, sed etiam fidelium peccatorum opera esse peccata, quod non admittit Jansenius. Patet, quia Aug. requirit, non qualemcumque fidem, sed fidem, que per dilectionem operatur, ut opus non sit peccatum. Dicte, inquit in fine sæpè cit. cap. eum, que non facit opera bona in intentione fidei bonæ, hoc est ejus, que per dilectionem operatur, totum quasi opus... tenebrosum esse, hoc est plenum nigredine peccatorum.

Obj. 3. & simul subsumes; atqui infidelis in omni suo actu agit propter finem pravum: ergo, Prob. Subsumptum. Homo in omni actu agit propter suum ultimum finem, ut diximus de ultimo fine; atqui finis ultimus hominis infidelis est malus; est enim aversus a Deo, & conversus ad bonum commutabile ut ad ultimum finem: ergo R. 1. hoc argumentum etiam nimis probari pro Jansenio. Eo enim probatur, non solum infidelium, sed cujusvis peccatoris, etiam fideles, omnia opera esse peccata, quod negat Jansenius; quia finis ultimus cujusvis peccatoris est etiam bonum commutabile. R. 2. N. Subsumptum. Ad prob. D. Maj. Homo in omni suo actu agit propter ultimum finem in communi, qui est beatitudo ut sic, C. Maj. Propter ultimum finem determinatum ad aliquod particulare, quod sit verum, vel apparens bonum. N. Maj. Similiter, D. Min. Finis ultimus hominis infidelis spectatus in communi est malus, N. Ut determinatus reduplicativè ad aliquod apparens bonum, C. Finis ergo ultimus, quem homo in omni suo actu appetit, est bene esse, seu beatitudo in communi: hæc autem beatitudinem in communi unusquisque sibi determinat ad aliquod particulare objectum, justus ad Deum, infidelis, & quis peccator ad bonum proprium sine subjectione ad Deum. At, sicut justus non semper agit ex amore boni in communi reduplicativè ut determinat ad Deum, ut dum peccat venialitè; ita infidelis, seu peccator non semper agit ex intentione boni ut sic reduplicativè determinat ad bonum proprium, & commutabile, ut quando aliquod bonum opus facit propter ejus honestatem.

Inst. Nullum est bonum opus, si non referatur ad Deum propter se dilectum; atqui id fieri non potest sine fide: ergo, R. D. Maj. Nullum est bonum opus, si non referatur ad Deum, relatione actuali, vel virtuali explicita, N. Relatione virtuali implicita, C. Ad hæc autem non requiritur fides; sed sufficit, quod opus sit ex objecto honestum, nulla prava circumstantia,

vitatum, & quod operans illud agat motus ejus honestate; sic enim refert, & refertur virtualiter implicitè in Deum, honestatis hujus auctorem, finem, & consummatorem. De quo alibi.

§. III. Utrum homo lapsus possit facere aliquid bonum morale sine speciali gratia actuali.

Suppono, (Hic art. 2. o.) quod jam non semel supponi in decursu hujus articuli, nullum bonum supernaturalè conducens ad salutem posse fieri sine auxilio supernaturali gratiæ, que datur per Christum. Patet ex ipsis terminis: Supernaturalè enim dicitur, quod superat vires nature: ergo ad id indiget homo elevari per virtutem superadditam suæ nature. Item omne opus ad salutem pertinens, vel est dispositio ad gratiam sanctificantem, vel est meritum vite æternæ; atqui dispositio debet esse ejusdem ordinis cum forma, ad quam disposuit; & meritum cum præmio: & de istis operibus pietatis, & salutis præsertim intelligitur Scripturæ, Patres, & Concilia, que dicunt nos non posse ex nobis sine Deo, & ejus auxilio quidquam boni facere, seu gratiam ad quodlibet opus bonum esse necessariam. Questio est itaque de bono morali ordinis naturalis; circa quam dissentient etiam Thomistæ. Quidam docent, sine speciali gratiæ auxilio nullum omnino bonum fieri posse; ita Capreolus, quem sequitur Contenson. Alii dicunt, cum solo concursu generali sine speciali auxilio fieri aliquod bonum opus morale: ita Cajetanus, Conradus, Medina, Godoy, quos sequitur Goner. Hoc idem dicunt Molinistæ, sed sensu diverso a Thomistis: illi enim docent, sufficere generalem concursum indifferenter, quem voluntas suo nutu determinat ad bonum; Thomistæ verò requirunt concursum prævium determinatum, & efficientem, ut homo bonum potius, quam malum faciat: quod, & dicunt priores Thomistæ, sed vocant hunc concursum speciale, quem posteriores Thomistæ vocant generalem. Nos juxta observationem singularem factam in primo art. hujus Dissert. & dicta art. 2. §. 1. Concl. 1. hunc concursum dicimus generalem, & specialem sub diverso respectu: & per hoc fit plana, & expedita hæc difficultas, aliquid intricatissima. Igitur

Dico. (Ibid.) Homo lapsus cum solo concursu generali, sine aliquo alio superaddito gratiæ auxilio, potest facere aliquid bonum opus morale naturalis ordinis; iste tamen concursus generalis potest, & debet dici aliquo sensu speciale auxilium gratiæ. Prob. 1. pars. (Ibid.) Natura humana per peccatum non est totalitè corrupta, ut scilicet toto bono nature privetur; ergo potest per virtutem relictam suæ nature sub concursu Dei generali aliquid bonum opus morale facile facere: sicut homo infirmus potest per seipsum aliquod motum habere, sed non potest perfectè moveri, nisi sanetur. Prob. & explicatur 2. pars, repetendo, & instaurando ea, que jam dixi locis citatis. Auxilium gratiæ specialis latius sumptæ, secundum scilicet quod habet locum in bonis operibus ordinis naturalis, duo importat, sicut ipsa gratia strictè dicta in ordine supernaturali. Primum, quod gratis datur, & non ex debito, alioquin si ex operibus, secundum Apostolum jam non foret gratia. Secundum, quod non detur omnibus, sed aliquibus præ aliis ex speciali benevolentia Dei, alioquin non foret specialis, Hoc posito,

Generalis Dei motio potest considerari dupliciter: 1. Respective ad naturam secundum se. 2. Respective ad hoc, vel illud individuum hujus nature, cui præ alio datur. Considerata respective ad naturam secundum se, non debet dici auxilium speciale, nec gratuitum, sed generale, quo Deus movet unumquodque secundum suum modum: cum enim bonum rationis in natura non sit totalitè corruptum, nec voluntas sit confirmata in malo sicut in demoniis, sed attenuata tantum, & vertibilis in bonum, & in malum, non exigit influxum communem, quo semper moveatur in malum, sed quandoquæ in bonum rationi conforme. Et idè, quod quandoque moveatur in bonum, non est auxilium merè gratuitum, quia quodammodo debetur; neque speciale, quia non est ex speciali gratia, & providentia, sed secundum leges communis providentiæ, que naturas defecibiles, & vertibiles in bonum, & malum quandoquæ movet ad bonum suæ nature, quandoquæ permittit defecere. Considerata verò respective ad individuum, cui præ altero datur, debet dici auxilium speciale, & gratuitum; quia quamvis nature debeat, ut aliquando moveatur in bonum, quod tamen hic homo moveatur hic, & nunc in bonum præ altero, non debetur illi potius, quam alteri, qui permittitur defecere, sicut ipse defecere poterat. Undè est illi gratuitum, quia non debetur, & speciale, quia ex speciali benevolentia & providentia.

Hæc distinctione posita, quam non puto ullum Thomistam posse inficiari, quamque ostendimus supra fundatam in D. Th. conciliatur discordia Thomistarum, que non potest esse nisi de nomine. Nam, qui negat requiri auxilium speciale gratiæ,

sed sufficere concursum generalem, non intelligunt concursum indifferenter, & versatlem Molinistarum, determinabilem a voluntate hominis, sed motionem ordinariè providentiæ, quam tamen non negant non eandem omnibus dari, sed aliam iis, qui bene agunt, quam iis, qui male agunt, & hoc gratis. Qui verò requirunt auxilium speciale gratiæ, non intelligunt virtutem superadditam, & supra cursum nature collatam, sed ipsam motionem uni præ alio gratis, & ex speciali benevolentia ad bene agendum datam, sicque non re, sed voce tantum differunt. Eodem modo conciliantur varii textus Scripturæ, Conciliorum, SS. Patrum, præsertim S. Thom. apparenter contrarii, ita ut supervacaneum sit illos exponere. Hæc habemus, verè dictum esse a Conciliis & Patribus singularitè ab Aug. quæcumque bona sunt, sive ab infidelibus, sive a peccatoribus, sive a justis, tam magna, quam parva, tam supernaturalia, quam naturalia, esse dona Dei, atque ejus auxilio speciali, & gratuito esse referenda, consequenter necessitatem orationis, & gratiarum actionis in his omnibus habere locum, & de omnibus posse verè dici cum Apost. Quis te discernit? Quid habes, quod non accepisti?

Una restat difficultas: quomodo hæc propositio, liberam hominibus arbitrium sine gratia, & adjutorio Dei nominis ad peccandum valet, damnata sit in Bajo; & hæc: Nemo habet de suo nisi peccatum, & mendacium; sit asserta a Conc. Araricano Can. 22. cum videatur utriusque propositionis idem sensus. R. N. Esse eundem sensum utriusque propositionis: magis latè patet propositio Concilii, quam propositio Bajii. Sensus igitur propositionis Concilii est, neminem habere de suo, sic nimirum ut nullatenus adierit a Deo, nequidem primo motore, nisi peccatum, & mendacium; quod est verum; illud enim dicitur homo habere de suo, quod ei sic proprium est, & a semetipso habet, ut nullo modo habeat a Deo: & idè titulus Canonis laudatè est: De his, que hominum sunt propria. Sic autem homo solum habet peccatum, quia illud tantum est ab homine, sed non a Deo: quamvis enim Deus concurrat ad entitatem peccati, non tamen concurrat ad peccatum: omnia autem alia, sive nature, sive gratiæ, bona non a se habet, sed a Deo. Propositio autem Bajii minus latè patet, maxime in sensu Bajii; non solum quia nomine gratiæ simpliciter, & proprie dictæ intelligitur gratia supernaturalis data per Christum, sed maxime quia Bajus per gratiam intelligebat gratiam sanctificantem, & charitatem. Contendebat enim, ut vidimus, omnia opera sine gratia sanctificante, & charitate facta, esse peccata. Sensus ergo ejus propositionis est: liberum arbitrium sine gratia proprie dicta, imò sine gratia sanctificante, & charitate, non nisi ad peccandum valet; quod est falsum, ut probavimus.

ARTICULUS IV.

Utrum homo possit diligere Deum super omnia in solis virtutibus naturalibus sine gratia?

Ante omnia suppono cum Auctore (Hic art. 3. ad 1. 2. q. 26. art. 3. & in cap. 13. 1. Cor. lecti 4. & alibi) contra Bajum & Jansenium distinctionem duplicis amoris Dei, naturalis scilicet, & supernaturalis. Naturalis, quo Deus per lumen naturale cognitus ut auctor bonorum naturalium amatur; supernaturalis, quo Deus per fidem cognitus ut auctor gratiæ, & gloriæ diligitur. Cum enim amor sequatur apprehensionem boni, sicut Deus potest dupliciter cognosci, scilicet per lumen naturale ut Auctor boni naturalis, & per fidem ut Auctor boni supernaturalis; ita potest duplici amore diligi, naturali, & supernaturali. Adde, quod dilectio Dei super omnia sit primum præceptum legis naturalis, & Decalogi, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo: Lex autem naturalis non extinguitur per peccatum, nec datur per gratiam, quia naturalitè imprimitur: ergo est possibilis dilectio Dei super omnia tanquam finis ultimi in ordine naturali, & secundum legem naturalem. Hujus oppositum damnaverunt SS. Pontifices, S. Pius V. Greg. XIII. & Urbanus VIII. in propositionibus 34. 35. & 38. Bajii. Vide Dissert. 2. art. 2. object. 2. Questio hic est de amore Dei naturali: constat enim ad amorem Dei supernaturalis requiri auxilium gratiæ supernaturalis.

Nota: Amor naturalis est duplex, scilicet innatus, qui est veluti naturale pondus in bonum cuique proprium: elicitus, quo vivens ex apprehensione boni ad illud prosequendum se movet. Elicitus iterum duplex; necessarius, qui ex boni apprehensione sine deliberatione procedit, qualis reperitur etiam in brutis; alius liber, quo natura rationalis ex deliberatione, & ponderatis rei meritis se in illam inclinat. Questio hic non est de amore innato; (1. p. q. 60. art. 5. o.) quia certum est, omnem creaturam magis Deum, quam seipsam pro suo modo amare, hoc est, fortis inclinari in bonum divinum, quam in bonum proprium; sicut pars magis inclinatur naturalitè in